HISTORIA

HORTI PATAVINI

In tres partes distributa

Quarum I. Horti institutionem, cultum &
II. Prefectorum vitas.
III. Plantarum Horti conspectum continet

OPUS inceptum
a
IULIO PONTEDERA
PISANO
et post eius obitum
jussu
TRIUMVIRUM LITTERAR.e
digestum et absolutum
a
LEONARDO SESLERO PH: et M:D:

. PARS PRIMA .

Illustrissimis, atque Excellentissimis Viris
Patavini Gymnasij Moderatoribus

Marco Foscareno
Equiti
Ac Ædis D. Marci Procuratori

Alorsio Mocenico
Equiti
Ac Ædis D. Marci Procuratori

Paulo Rainerio
Senatori Præstantissimo
Totique

Triumvirum Litterariorum
Ordini Amplissimo

Leonardus Sesleriis

Decreto vestro Senatores amplissimi munus honorificum impositum mihi est conscribendæ historiæ Horti Patavini inhærendo vestigijs celeberrimi in botanica facultate Professoris Hortique Præsidis Iulij Pontederæ, concreditis mihi ob id Clarissimi Viri scriptis hac de re jussu vestro exaratis, et ab ipsius obitu fideliter, diligenterque servatis. Decorum quidem munus, ac mihi jucundissimum, utpote qui

a prima ætate Botanicam artem maximo studio sum pro-
secutus, quamque vel naturali amore impellente, vel consuetu-
dine dum vivam prosequar, jam alacriter subeo, jamque de-
siderium foveri incepi expectationi vestræ satis pro virili par-
te faciendi. At mecum sæpe magnopere doleo Clinicam, quam
exerceo Medicinam maximam sibi temporis partem abripere,
et quod senior ætas ad intermissa diu politiorum litterarum
studia me redire non sinat, quæ ut reliquorum Scriptorum, ita
imprimis maximum Historici ornamentum constituunt. Nam-
que optime novi quantum accedat Scriptori decus ab argu-
menti nobilitate, et honorificentissimo Senatus jussu, nec
me latet, quam sit perillustre in lucem proferre primum
scripta e tenebris eruta Viri fama, celebritate, omnigena
eruditione celeberrimi. Et sane Patavinus Hortus, Viri
Amplissimi, tum ob munificentiam, et Regium pene sumptum,
quibus Senatus a Botanicæ fere artis incunabulis fundavit
illum, auxitque, tum ob ingentem præstantissimorum Virorum
numerum, qui in ipso floruerunt, tum ob ea, quæ ab eodem
suscepit Ars incrementa, maximam præbet Historiæ, amplis-
simamque materiam; Idem inter cætera peculiarem laudem
constituit Reipublicæ florentissimæ, quæ barbaris etiam tem-
poribus scientias, et artes prima excoluerit, et munificentia

ac liberalitate maxima propagaverit.

Non exiguam idcirco hanc partem Historiæ Lycei Patavini, quæ cum Philosophiæ naturalis historia connexionem habet sapienti consilio Præcessores vestri tanto Viro scribendam tradidere, quam optime digestam, atque absolutam, sermonis elegantia exornatam, multiplici eruditione refertam, et naturalis historiæ doctrinæ conjunctam ex ejusdem pluteis haberemus, ni mors illum octogenarium nobis, ac litteris cito eripuisset. Sed maxima litterarum jactura, quæ supersunt, Clarissimi Viri adversaria, disjecta exhibent operis elegantissimi membra, quæ facile quidem ab illo connecti, ac perfici potuissent, minus vero ab Homine, si cum eo comparetur rudi, ac quasi propemodum impedito, ut me non adeo terreat suscepti oneris labor, quam cum tanto Viro confero. Quæ cum mecum reputarem, et probe perciperem nihil esse vobis offerendum, quod non aliqua aut diligentiæ, aut utilitatis laude commendaretur, semperque mihi ante oculos esset amplitudo Senatus Consultus, neque abolenda penitus tanti Viri studia existimavi, neque ita producenda, ut decus, utilitas, et ornamentum Operi ejusdem deesset. Quam ob rem methodum hanc, quam vobis exponam Amplissimi Viri veluti utiliorem, ac præstantiorem seligendam putavi

Prima igitur Sectio proferet, quo tempore, quibus de caussis, qua necessitate, quibus legibus, ac decretis, qua demum providentia Patavinus Hortus fuerit institutus; cujus Sectionis majorem partem e celeberrimi Pontederę Adversariis deprompsi. Cum vero pro temporum ratione variae ad artes excolendas, et promovendas subsidia necessaria sint, atque mutata sępe fuerit Botanicę facultatis facies, ac limites amplificati; pulchrum, et utile erit observare quibus modis conquisitę fuerint plantę, asservatę, cultę, quęque subinde Horti figura, structura ędium ipsi inservientium, quę soli dispositiones, Arborum consitiones, aquarum distributiones; tum quid in hac parte Veneti Senatus regali industria perfectum anteactis temporibus, quidve nostris perficiendum adhuc supersit.

Namque cum Horti non solum Botanicę incrementa complectantur, sed etiam exquisitam constituant deliciarum partem, conquisitis undique a dissitis Regionibus, et a vario climate stirpibus, expolita est, ac plurimis aucta modis extructio ędium ad alendas stirpes, easque servandas; quę omnia eruditissimus Antecessor optime norat.

Sectio altera illustres enumerabit, et multiplici laude florentes Horti Pręsides, ejusque Sectionis minima pars est, quam in Pontederę scriptis invenerim. Ex qua enarratione

apparebit, qua methodo primum Botanices tradebetur in Horto, ac in Gymnasio; quiquantique Viri, quibus aut scriptis, aut inventis, aut susceptis itineribus, aut additis Horto incrementis illustres extiterint; in qua profecto parte amplissima non deerit materies; siquidem Magistratus vestri sapientia factum est, ut qui Horto praefuerint Viri doctrina, et celebritate praestantiores seligerentur.

Pars tertia complectetur historiam stirpium ad quarum cultum hortus est institutus. Id ipsum in Animo fortasse fuisse doctissimo Bontedero, conicio ex eo, quod in Adversariis congessit catalogos plures plantarum, quae variis temporibus in Horto Batavino fuerunt. Sed rude omnino fragmentum est, quod et barbara nomina jamque obsoleta plura continet, et dispositione caret Botanica, et historia stirpium singulari, a quo idcirco me recessurum longe profiteor. Atque cum Botanices facultatis sit stirpes disponere juxta methodum, quae earundem cognitionem, et distinctionem promptam, et facilem reddant, tum vero cognitas, discretasque stirpes aptis nominibus indicare, id primum efficiam, ut juxta methodum, quam optimam judico plantae ordinatae sint, atque denominatae.

Methodum naturalem in plantis ordinandis sequerer arbi=

ficiosis omnibus anteferendam, si ut ejusdem fragmenta
Botanices innotuerunt integram, perfectamque noscere datum
esset, quam tamen cum latere necesse sit usquequo plantarum
omnium cognitio acquiratur, aliquam ex iis, quæ arte fiunt
eligere oportet, quandoquidem vegetabilia naturali etiam me=
thodo ignorata discerni queant, methodus vero naturalis absque
vegetabilium cognitione universa haberi nequit. Profecto, quo
magis stirpium cognitio provehitur, eo gravior difficultas appa=
ret naturalem methodum attingendi, quæ nimirum per tot,
atque ejusmodi progressionum ordines procedit, ut huma=
næ mentis capacitatem excedat longe. Stirpes enim, cum
ut reliqua omnia naturæ producta suis, constantibusque chara=
cteribus singulæ sint notatæ, si plures inter se compa=
rentur, non modo ab charactere unius generis ad cha=
racterem alterius sensim procedere apparet, sed etiam
ab individuo charactere speciei ad characterem singu=
larem alterius speciei per minima discrimina progredi;
ita ut attentius observatæ binæ species ex eodem gene=
re omnino conformes nunquam inveniantur. Quapropter
aut absque methodo singulas plantas describere opus
esset, quod quidem in tanto stirpium numero ipsarum
cognitionem arduam redderet, aut systemata aliquo

uti, cujus ope partium analogia explorata per analogiam ipsius gradus ordinentur.

Age cum ratio suadeat, hisque principijs cum innitatur sexuale systema Cel. Caroli Linnei, hoc adoptantem me longius ab errore futurum spero. Cum enim Linnei systema observationi innitatur partium omnium fructificationis juxta ipsarum numerum, figuram, situm, proportionem analogiæ gradus inter stirpes subtilius, et accuratius dimetitur, atque erroris occasionem aut ferme subtrahit, aut multo minorem facit, quam si unius tantummodo fructificationis partibus comparatio adhiberetur, qui aliorum systematum fere defectus est.

Qui vero eo pacto botanici munera explet botanicis consulit non cæteris Hominibus, quorum magna pars sterilem, et inutilem artem accusat si bono societatis ipsa nihil addit. Addere vero plurimumque addituram facile intelligit, qui animadvertat, vegetabilium medicos, œconomicos, technicos usus hujus artis unica ope ad regiones, oraseque dissitas propagari, ejusdemque artis defectui ignorantiam, aut obscuram, implexamque cognitionem deberi eorum, quæ veteres Philosophi, et Medici circa vegetabilium usus cognoverunt. Utilissi=

mum ideirco futurum, si cum botanica arte historia singularis stirpium sit consociata. Id vero simul in tertia hac parte præstare conatus.

Quoniam vero irrita ferme opera Chemiæ, mechanicæ, aut artis cujuscumque plantarum vires fuerant exploratæ, et quicquid remediorum medicina, aut adminiculorum artes et œconomia a vegetabilium regno desumunt casu, fortuitoque constiterit, optimum hac in re sum arbitratus certis experimentis insistere, eaque tantum de plantarum facultatibus proferre, quæ firma, et rata ab experimentis habentur tum ad victum, tum ad salutem, tum ad commoda hominum, et artium usus.

Quod ut perficiam multa collegi ab experimentis, ab observatione, a librorum lectione, multa sum collecturus ab iisdem fontibus.

Propius autem, et diligentius plantarum medicas vires considerabo, ut earundem specificæ facultates rectius explorentur. Vis enim illa, qua plantæ morbis nonnullis specifice medentur a simplicitate, a maturitate debita ipsarum, a solo, in quo oriuntur, aluntur que, a dosi, a tempore in quo adhibentur dependet. Quibus conditionibus si Clinicus satisfaciat experientia

duce, morborumque species dignoscat exacte minime se decipiet, quemadmodum pauca illa vere Herculea specifica demonstrant ex vegetabilium familia deprompta, Cortex Peruvianus, Ipecacuanhae radix, Simaruba, Arnica, Senecka, Spigelia, Lobelia, Aster Italorum &c; quorum rectus usus vix in millesimo corpore decipere consuevit.

Dum autem hisce partibus Historiae perficiendis incumbo, vidi amplissimi ne magni Promissoris vitio sim notatus primam offero, quam a viro eximio designatam, a me perfectam nihil aut ornabit magis, aut Hominibus commendabit impensius, quam vestro jussu prodiisse, vestrisque augustis nominibus esse inscriptam. —

Praefatio

Qui hominum res gestas colligere, in ordinem digerere, temporibus definire, eloquentia exornare, memoriaeque tradere instituunt, plurimum Mortalibus prospicere, et consulere videntur, quod solum opera humanum genus, dum ad vetera monumenta respicit, praeteritarum rerum scientia ad optimam vivendi rationem impellitur, ac pietate informatur. Quapropter jure ac merito historia vitae Magistra semper dicta, atque habita est, quae subiectis exemplis, quibus nihil aptius, nihilque validius ad persuadendum possit afferri, hominum mores degit, et ad rectum cursum deducit; exigua tamen pars eorum, quae traduntur, ac praedicatione decorantur, vera laude, atque imitatione, si recta intelligentia perpendimus, digna inveniuntur. Laudantur Duces, atque Imperatores, et immortalitate soli dignissimi habentur, quorum ductu multa hominum millia caesa sunt, multa in servitutem redacta, urbes eversae, incensa oppida, et agri late ferro, ignique depopulati; Ista ne quis recte laudibus prosequetur, quae non modo hominibus non prosunt, sed obsunt ~~potius~~ plurimum? Ista ne quis, qui modo hominem se esse intelliget ad imitandum se excitabit, quorum imitationem tot, et tam gravia mala consequuntur? Equidem cum inter ea, quae divina sapientia Mortalibus contemplanda submisit nihil homine praestantius, nihil pulchrius, nihil perfectius, nihil utilius reperiri possit quo se scelere obstringit, qui aut praedo

cupiditate, aut dominandi libidine, aut falsa laudis pro=
digine ductus pulcherrimum totius terrarum Orbis opus, prae=
stantissimumque tollere, atque evertere conatur? Quid quod ho=
mo hominem prosternit, tanta similitudine, et cognatione
sibi conjunctum, in genus suum saeviens, et viscera velut sua,
ac membra scindendo, ac dilaniando? Damnantur, et summo sup=
plicio afficiuntur qui viarum angustias, montiumque fauces
obsidentes praetereuntes adoriuntur, vestibus, ac pecunia spoli=
ant, et saepe detruncant: At qui urbes, et oppida cum magna
multitudine invadunt, qui Cives aut interficiunt, aut in servitu=
tem adducunt, qui domos, et sacratas aedes denudant, atque incen=
dunt, qui alienos agros, et villas depopulantur summa lau=
de efferuntur, praedicantur, ab hominibus pro virili imitantur.
Latibula igitur, ignes, et cruciatus grassatoribus parantur, quod
paucos cum paucis prosternunt, et necant: Ducibus, qui magna
peditum, equitumque copia stipati longe plura, ac majora
mala hominibus inferunt triumphi, regiae sedes, divitiae, et
praedicationes attribuuntur. O caecae Mortalium mentes, cur le=
viora poenis, graviora praemiis prosequimur? Dum quis silvis
et latibulis tectus Hominem unum, aut alterum per vim
aggreditur, Fur habetur, et cum execratione punitur: idem
magnas turbas nactus, atque latibulis egressus in oppida ir=

rumpere audet, et omicidia plura patrare, prędasque agere ingen=
tes Dux erit, et Imperator. Numquid dissimilia componimus?
Potest quis exempla seligere, et magna cum parvis confer=
re.. Nulla alia erit dissimilitudo, nisi ea, qua major vis a mi=
nori discriminatur. Propterea multa, quę historia docet, et
laudibus afficit, neque imitatione, neque vera laude digna
inveniuntur. Floret bellica gloria, et victoriis magni Alexan=
dri nomen, quod immensa dominandi cupiditate accensus par=
quam Gręciam in servitutem adegerit, Persas adortus fero=
cissimos hominibus exercitus fudit, atque interfecit, Regna,
et urbes internecione delevit. Hunc qui laudat humani ge=
neris eversorem non laudat, qui ad ignotas, atque indefinitas
terras bella, et incendia nimia regnandi libidine animo volven=
debat, qui cum a quodam Philosopho accepisset innumeros esse
Mundos ingemuisse fertur, quod tanta Mortalium cęde non=
dum uno potitus esset. At Periclem, qui neque magni
nomen obtinuit, neque ea fama in Hominum memoria
viget, quis satis unquam laudaverit, et merito honore fue=
rit prosequutus? Hic enim cum in totius Atheniensium Re=
publicę administratione toto fere vitę spatio clarissime
esset versatus, et fessus jam jam Animam exhalans ja=
ceret, multa amicis a se gesta optime prędicantibus,

adeste, inquit, neminem me imperante in vitæ discrimen adductum. O præstans animi virtus, et vox homine digna. Cui quem præfecimus? Alexandrumne de quo retuli, an Cyrum, Cæsaremve, quorum alter per bella, et cædes Persis parto imperio, dum Scythiæ inhiat tantum humani sanguinis mortuus hausit, quantum vivus effudisse nunquam satis existimavit. Alter per leges in ordinem dum redigitur indignatus se dominatione privari fœdissimum bellum patriæ intulit, et non hostium, sed Civium sanguine cruentatus de oppressa Republica triumphum egit. Neque clementiæ titulus, quo multis servatis Civibus decoratur, in ejus imitationem quemque allicere debet; erat enim et hominis, et Civis, et Cæsaris tam excellenti ingenio ac doctrina præditi a civili sanguine abhorruisse potius, quam devictis parcendo inanem mansuetudinis famam aucupasse. Profecto longe clementior atque humanior Cato Uticensis, quamvis severitatem vultu præferret, qui adversus Cæsarem pro patria in acie cum staret, Civibus nonnullis interfectis visis adeo commotus est, ut obducto capite lacrymabundus in tentorium prosiluerit, bella civilia execratus posteritati.

Quae de causa speciosa ista memoriae tradita, quibus Historia gliscit, et legentium Animi detinentur, quoniam ab omni humanitate, et hominis natura removentur moribus, officijs, probitati contraria, scitu quidem propterea necessaria sunt, ut quisque ab eorum imitatione se abstineat, atque avertat.
At cur institutum est ab omnibus, et probatum hominum res gestas scribere, et posteritati mandare, si ad illorum exemplar nos fingere, et componere non licet? Traduntur praeclara, ut horum imitatione nos imbuamus, commemorantur bella, et triumphi, cum externa vis a natali solo repellitur, ut optimi Cives ad patriae charitatem, et custodiam excitentur, non praetermittuntur flagitia, caedes, furta, libidines, feritates, per quae Tyrannis grassatur, ut homines ab hujusmodi imagine, tamquam a teterrima bellua se abducant. Non ne Comedia avaros senes, Adolescentes luxu affluentes et amore solutos, rapaces servos, Scorta, scurras, Parasitas, quorum instituta risu excepta, et contemptui habita spectatorum mentes in contraria rapiant, in Scenam adducit? Tragedia item dum Parentes in li=

beros, liberos in Parentes, Fratres inter se, et in Cognatos crudeliter armat, et atrocitate summa hominum mores miscet, et perturbat ficto scortiæ, et impietatis spectaculo, non ne homines ad religionem, pietatem, mansuetudinem revocat, dum quisque falsæ rei, tota cavea execrata, aspectu permotus probe intelligit, quid vera, si contingant, portendant? Hunc itaque fructum historia spectat, eoque uberiorem, quo magis præclara, et imitatione digna traduntur. Quid autem scitu utilius, et ad exemplum speciosius seligi, et memoriæ mandari potest, quam ea, quæ ad hominum usum, commodum, præsidium, incolumitatemque tota referuntur, non scelere, non urbium eversione, non frugum raptu, non humano sanguine comparanda. Quæ cum ita sint, mirabitur nemo a nobis in commentarios redigi, posteritatique commendari, quæ primo intuitu historiæ titulo, et prædicatione digna haud censeantur. Sed perpendendo sedulo, eaque quæ proposuimus diligenter ad examen revocando, cum plura, ac ferme innumera sint, quibus Augusta Respublica Veneta belli, pacisque artibus immortalitatem sibi peperit, hoc unum, de

quo scribere instituimus, ita excellere fatebitur, ut
nulla gens, nullum Regnum, Respublica nulla cum Ve=
neta tam eximio in Hominum collato beneficio possit
conferri. Nam classibus parti triumphi, terrestribus co=
pijs debellati Hostes, Urbes eversæ, aut in deditionem
receptæ, Socij defensi, et ab injuria prohibiti, Tyran=
norum sævitia supplicijs affecta, devinctæ Civitates cle=
mentia, et mansuetudine recreatæ, cæteraque eximia, ac
præclara, quibus Veneti Annales referti sunt commu=
nia Romanis, communia Græcis inveniuntur. Ve=
rum tamen hæc quando ~~a~~ aut Romæ, aut in Græ=
cia, aut alicubi humanitatis jura adeo religiosa, et
sacra habita, ut publico Consilio decretum fieret, quo
non sibi, et suis, sed universo humano Generi pros=
piceretur? Profecto omnibus hæc cura defecit, dum
quisque consilia sua ad propriam utilitatem, et suo=
rum commoda convertit. Quare si ab ultima anti=
quitate repetamus, primus eximij, ac prope divini
operis Auctor Senatus Venetus repertus est, qui
de universo Mortalium beneficio cogitaret, et a quo
præclara illa vox publice emitteretur: ad cunctorum
hominum commodum, et salutem Hortum Medi=

cum constituamus. O præstans, atque excellens præconi=
um omnibus linguis, literis, monumentisque celebran=
dum! Et revera quoniam optima facinora statim
laudatorem, imitatoremque inveniunt, ut primum
Venetum decretum innotuit, obstupuit quisque
munificentissimi Consilij admiratione attonitus, deinde
laude, ac prædicatione incredibilem, atque ad id tem=
pus inauditam liberalitatem extollit, denique ne
qua dies eximij operis famam extingueret, et de homi=
num memoria deleret, scriptis editis posteritati tra=
dit. Tum Principes, et Reges exemplo permoti, et
si incepta sequenti minus clara, et probata esset
æmulatio, tamen nixi sunt, ne postremi hominibus
prospexisse viderentur. Ideò Horti stirpibus re=
ferti frequentes instituuntur, appositis cultoribus
et Magistris, brevique tempore numero adeo ampli=
ficantur, ut nulla fermè Civitas, quæ modo sui
Iuris sit, reperiri possit, in qua Botanicus Hor=
tus non commendetur, cum etiam Gentes quam ma=
ximè a solis tepore remotæ, perpetuoque frigo=
re damnatæ hac cura contendant. Operæ pretium
Est nunc strictim, et cursim recensere quæ com=

commoda, utilitatesque humanum genus hinc perce=
perit, ne inani specie lectoribus nostris eblandiri vi=
deamur, nihil de fructu, qui quam uberrimus tanto cul=
turae apparatu augeri debet, adjiciendo. Quod facile praesta=
bimus in rebus omnium sermone celebratissimis versantes,
antiquis temporibus ante oculos positis, cum stirpium hi=
storia nulla data sede, inhonora, et rudis inter invios sal=
tus, solitudinesque iacebat adeo paucis nomine tenus no=
ta, ut remedia neque certa, neque probata ad medicos
usus traducerentur. Tunc cernere erat Medicinae peri=
tos veteres memorias versando in herbarum cognitionem
misere angi, inanique cura conniti, et quo magis intende=
batur studium, eo minus proficere,* sive quia nota pa=
riter, et ignota confunduntur, et miscentur, sive denum
quia non visu sibi cognita, et probata, sed ab alijs tra=
dita designant. Ad haec incommoda graviora accedebant.
Exteraque quae antiquitas protulit, et longinquis regioni=
bus petenda erant, neque qua via accesserentur, vel
accessita colerent, ulla dabatur opportunitas, cum in=
stitutum nondum esset, ut ad stirpes inquirendas
publice mitterentur periti, et nonnulli etiam hac de
causa proprio sumptu peregrinationes susciperent, cul=

* Sive quia stirpes nimis exigue, et exiliter adumbratas denotant,

toribusque alendas transmitterent. Nemo item Doctor aderat, qui in dubijs consuleretur, qui veram cogno=scendi viam ostenderet, quique genera constitueret, et generibus, ex quibus manant, simili quadam communi=one subiceret partes. Omnia confusa, et permixta agebantur, nullibi vera investigandi studium, nullibi internoscendi sagacitas, nullibi suis quoque membris aptan=di ordo, nullibi remedia legendi consilium, et certa ra=tio. Propterea adulterata, vel sincera, utilia, vel inu=tilia, noxia, vel medica ad hominum usum redere, ne=que approbatorem inveniebat, neque reprehensorem; quod ~~quis~~ nemo propter summam rerum ignorationem neque laudare audebat, sibi parum explorata, et per=specta ~~erant~~, neque improbare. Tot itaque tenebris abditae arti, penitusque demersae lumen attulit Senatus Venetus Patavij constituto horto, quem ut obtinuit, tam=quam ex ergastulo in Regiam domum adducta omni=bus ornamentis decorari coepit, doctis pariter, atque indoctis commendata. Quisque igitur ad se hinc acce=scire pro sua copia niti, animo, et labore contende=re, id agere, id cogitare, quo ampliorem, atque au=gustiorem, quam acceperat disciplinem, efficeret.

Adeoque certatim hac cura laboratum est, præcipu=
is ex penitissimis terrarum partibus ejus opibus de=
latis, et in unum congestis, ut ars hæc, quæ tamdiu con=
tempta, et neglecta, membratimque dispersa, ac lacera
per inculta errando exoleverat, inter præclaras scien=
tias, ac præstantes disciplinas summum locum nunc
teneat, plurimis monumentis amplificata, et cultori=
bus decora. Jam Indica vulgo inveniuntur, jam Afra,
et Asiatica inter contemptissimas Herbas habentur,
jam Rosas, Lilia, Violas, quibus primum decus inter
flores vetustas dabat, perinde ac gramina renuuntur,
quisque rejiciat, atque improbat. Jam Hesperidum sylvæ
et fabulosis narrationibus aurea mala decantata domesti=
ca servantur. Invia nunc juga, algentesque Vallium
recessus, et solitudines avidæ ornamentis spoliatæ
incassum ab hominum industria naturâ se subducentes,
campos decorant, dum cultum discere ars cogit, quod cul=
tus impatiens sua sponte virebat. Quid de remediorum
materia dicemus, quæ tam late patet, ut cuique sive
paludosa loca incolat, sive maritima inhabitet, sive
campestria teneat, sive montana ad singulas corpo=
ris affectiones probata præsidia producuntur?

Quid de frugibus, fructibus, oleribusque, quorum ea copia pro locorum conditione, ac terræ qualitate singulis parata superest, ut non solum ad vitæ subsidium, et tutelam, verum etiam ad voluptates, et oblectamenta affatim fundantur! Porro si de non nullis singillatim præcipua referre juvat quot, et quæ commoda ex majtio grano homines capiunt, quot sibi ad ornatum, et corporis velamentum ex Gossipio derivant! Quot ex sacchoro in condimentorum usum mixtiones deducunt! Nam ex una herba Nicotiana maximum vectigal in publica Ærraria nostro vitio redigi pudet fateri. Quid! Nonne etiam nostra ætate apud nonnullos populos agros bulbis, et tuberibus conserere institutum, et ex floribus mercaturam facere, quorum pretia adeo quotidie intenduntur, ut singula jugera minoris veneant, quam singuli bulbi! Hæc igitur, et alia brevitatis gratia a nobis prætermissa commoda, subsidia, quæ mortalium genus qua publice, qua privatim ex stirpibus colligit unde deducenda nisi ex Horto Batavino, a cujus institutione illa omnia originem, et incrementum desumunt! Verum tamen si diligentius rem perpendamus, longe majora, atque utiliora comme=

moranda supersunt, quoniam illa quamvis summa, et singularia ad Corpus tantum spectant, animum verò non attingunt. At quæ dici possunt animum ipsum, et mentem exornant, doctrina imbuunt, admiratione perfundunt, varietate, excellentia, ac summa rerum præstantia in eumdem obtutum attonita detinent, et morantur, totamque ingenij aciem ineffabili divini opificij contemplatione perstringunt. Postquam enim, quæ latè, et longe diffusa, ac dispersa in hominum industria in unum congessa sunt, singulis ex generum cognatione in ordinem dispositis, sedibusque suis adiectis, adeo eximia, adeo præstans, adeo mira rerum species effulget, ut non mea, quæ nulla, sed nullius beatissimi ingenij facultate, et dicendi copia recensere commemorando possit. Hic enim inusitata stirpium forma, ac nova folij, nova caulis, nova rami figura, et species, illinc multiplex horum varietas, atque elegantia prætereuntes invitant, etiam aliena agentes ad se convertunt, et detinent. Hinc odorum suavitas morosos etiam, atque inurbanos ad se rapit, istinc mirifici fructus pulchritudo, multifario colore picta, ~~ac mul~~

~~trifariorum colorum picta~~, ac multimodis figurata mortalium oculis stuporem offundit, ac sensus revincit. Nusquam profecto alibi tanta, ac tam pręsens divinę virtutis majestas elucet, nusquam alibi natura totam se nobis spectandam subjicit, penitusque detegit, quam in hortis nostris, in quibus dum quis interiora inexplicabili ordine, ac mira subtilitate laborata perpendere nititur, omnia humanę industrię angustiora, et majora intuens, fateatur, necesse est, esse quid, quod Animi nostri angustię non capiant, nec ingenij infirmitas sustinet, eoque cuncta quę tam altę rationis inveniuntur produci, et perfici. Erunt igitur, qui putent Horti nostri institutionem aptam historię materiam haudquaquam esse unde tot tanta, ac tam singularia bona hominibus derivantur, et quod pręstantissimum est certa, et clara divini numinis notio cum manifestum, exploratum, et cognitum habeamus, stirpium naturam, partes, et partium usus, atque utilitates contemplantem ad Cœlestium rerum intelligentiam quam proxime adduci

Quo tempore Hortus Patavinus cœperit.

Qui de Horti Patavini institutione scripserunt, ut Petrus Bellonius, Hermannus Conringius, Antonius Riccobonus, Iacobus Philippus Tomasinus, Angelus Portinarius, Petrus Castellus (ut alios, qui inferiori ætatis gradu floruerunt, illorum auctoritate in eumdem errorem delabentes prætermittam) neque certa, et vera, neque temporibus convenientia posteritati mandarunt. Nam in id fere conveniunt, ut ab anno CIƆIƆXXXIII initium repetant, Castello propius ad veritatem accedente, qui post annos IX originem decernit. Quibus refellendis haud immorabor, ne cui fides in alijs abrogetur. Quapropter publica monumenta sequutus ab anno CIƆIƆXLV principium ducam, quo tempore prid. Cal. Quint. rogatione per Triumviros facta, Senatus consultum habetur, demandata Gymnasij moderatoribus soli comparandi, in quo Hortus Medicus constitueretur facultate. Quis porro tam eximij operis gravissimo

ordini Auctor extiterit, cum ea tempestate nullum exemplum ab ultima antiquitate depetitum, quo permoti Patres Triumvirum relationem plenis suffragijs confirmaverint, inveniretur, non perspicio plane. Sunt qui Danielem Barbarum litteris, moribus, eloquentia praestantem, quem anno 1550 Pontifex summus Paulus IV Aquilegiae Patriarcham designavit, inter Civitatis Principes de ea re sermonem habuisse velint, et suasisse etiam, cum summum Reipublicae decus, maximum hominibus adversus morbos praesidium hinc emanaturum pollicitaretur. Sane Danielem Barbarum Horto exornando operam dedisse Moderatorum litterae ostendunt, quibus VI Id: Mart. anno CIↃIↃXLVIII Patavinae Urbis Praefecto, ac Praetori praecipiunt pecuniam Barbaro, quam in Horti sumptus erogaverat, ex Erario depromendam; Sunt contra, qui Francisco Bonafidio tunc rerum Medicarum in Gymnasio explanatori hoc laudibus vertant, ipso Bonafidio haud aliud de se praedicante; nam ut Auctor est Bernardinus Scardeonius, qui eadem aetate vixerat, cum Bonafidius extremam Senectutem attingeret, quo melius nominis sui famam posteris commendaret, debitoque

sibi ob præclarum opus inferiæ daventur, hos versus sepulchro suo sculpendos prescripsit.

Aeris. ad. ætherèas. sonitus. dum. surget. ad. auras.
Hac. Bona. Franciscus. dormit. in. æde. Fides.
Materiam. Medicam. docuit. qui. Antenoris. Urbem.
Quæ. lecta. in. tota. non. fuit. Ausonia.
Cujus. ob. auspicium. Venetum. Respublica. jussit.
Ut. fieret. Medicis. Hortus. ut Alcinoi.
Delicias. nectens. oculis. viridemque. Minervam.
Quique. fovet. Batavi. gloria. splendor. honos.

Equidem Bonifacius anno CIƆIƆXLIII epistolam conscripserat quam Gymnasij Batavini proceres, ut mos ferebat, moderatoribus Venetias miserunt, enixe rogando, ut de proposita materia apud Senatum quamprimum referrent. Doleo sane epistolam istam adeo evanuisse, ut nulla diligentia inveniri potuerit, certius enim quid constituerem, quod ex Gymnasij litteris, quæ supersunt, eruere conabor. Tribus jam elapsis mensibus, ex quo Bonafidei epistolas ad Triumviros datas cum studiosorum commen=

datiis reddita que fuerat, cum per Magistratum nihil rescriptum exiit XVI Cal. Mart. anno CIↃIↃCXLIV obsignatis litteris id quod Bonafidius Gymnasio fere deprecatatur in hanc fere sententiam iterum exposcunt. Optimum visum clarissimis Gymnasii Professoribus Montano, Oddo, Montio, Frigimelega aliisque, quos in consilium adhibuisset, publicæ prudentiæ subiicere commoda, utilitatesque, quæ Medicinæ tyronibus, et universum mortalium genus perciperent, si promptuaria cella, in qua res ad Medicinam necessariæ repositæ essent, pararetur. Ignorari vulgo, neque usum, scientiamque internoscendi esse, qua sincera a fucosis, vera a falsis, utilia at inutilibus secernantur; quoniam neque quis rerum medicinalium peritus demonstrator constitutus est, neque schola iis, quæ ad Medicinam necessaria expectantur definita. Quæ si in publicum commodum pararentur, congesta remediorum materia, cuius pars præcipua Venetiis facile comparari potest, ex Indiis advecta pars, ex insulis Cypro, et Creta, cæterisque maritimis regionibus, quæ Veneto Imperio

subiecta sunt importari, fore ut studiosa Juventus medicamentorum cognitionem celerrime adipiscatur, siquidem collatis exemplis, iisdemque sub oculos positis quid præstet quid non, facile accipitur, ac fideliter retinetur. Quod igitur præterito anno per egregium Virum Bonafidium postulatum est, iterum postulare, et si æquum, ac Gymnasii rebus bonoque publico conducere censebitur, rogare daretis operam, ut quam primum hac de re ad Senatum referrent. Quibus in litteris nulla horti parandi mentio habetur, nulla colendarum stirpium necessitas adiicitur, sed tantum Medicinalem ludum deposcunt, in quo medicæ res, quæ cultu non indigent, sed siccæ diu serventur, collocarentur. Nolo tamen Bonafidio quicquam hinc detractum, neque id eripere in animo est, quod Auctores attribuunt, et quod ipse Bonafidius, dum viveret, ut pulcherrimum, et præstantissimum sibi vindicabat; fieri enim posset, ut Bonafidei epistolas, quæ diuturnitate, vel negligentia extabuit, quid de horti institutione designaret simul, et ope=

sisset. Neque etiam a vero alienum est credere cum prima postulatio consensu non exciperetur, altera petitione Hortum impetratum. Et profecto hoc satis cernitur cum claro, ac manifesto argumento ex Triumvirum rogatione liceat de Horto constituendo, Gymnasio Patavino deprecante, Senatum decrevisse. Nam prid. Cal. Quint. anno CIↃIↃXLV ut supra posui, cum Senatores ex more in Curiam convenissent frequentes, Gymnasij Moderatores referunt, simplicium Medicamentorum cognitionem maxime perse necessariam, quae tota Medicinae continetur, et ex qua praesidia omnia adversus morbos derivantur, jam revocari in lucem, et in diem augeri, atque ampliari, postquam harum rerum doctrina publica Auctoritate in Scholis tradi coepit, deesse tamen plurimum ad scientiae perfectionem, cum Horto Medico, in quo Stirpes ex remotis Regionibus et praecipue ex Insulis nostris Cretae, et Cypro ubi optima remedia gignuntur, advectae, et cultae studiosae Juventutis oculis subiciantur, Gymnasium nostrum careat. Hunc autem admi=

rabili quodam studio, et ingenti Animi ardore expeti ab omnibus, qui Patavij publico docendi munere funguntur, aut Medicinæ rudimenta ponunt, ut crebris litteris ad nos datis declarant. Opportunitatem parandi soli perenni Aqua circumfluente, septinæ fures irrumpant oblatam esse per D. Justinæ Monacos, qui Urbanum fundum propter egregij Operis utilitatem se locaturos pollicentur. Ut relatum fuerat, sic censuit Senatus, decrevitque solum, in quo Hortus strueretur humani generis commodis, et usibus inserviens, quam primum comparari, obseri stirpibus circumundique conquisitis, instrumenta, Cultores, cæteraque ad culturam, et ornamentum necessaria parari, peritum, et navum Hominem deligi, cui horti cura tradatur, denique hortari Gymnasij Moderatores, et eos, qui in eo Magistratu futuri sunt, summa potestate tradita, ut diligentia enitantur ad justa exigenda, quo celerius hortum ad optimam frugem deducant. Quibus ne quis stirpes lædere, aut rapere audeat, cultores

et profectum injuriâ afficere, severas leges adversus maleficium promulgandi, nec non pecuniam in sumptus ex Gymnasij Erario sumendi jus, et facultas data. Inter necessaria quoque est cognoscere Botanicam disciplinam, quo studio, et Peculitate summum Consilium tot alijs gravissimarum rerum curis implicitum amplexum est. Continuo enim amplissimus Senator Sebastianus Foscarenus litteris excultissimus, ac Gymnasij Moderator ad agri comparationem missus est Patavium, tanquam de re summa ageretur, eoque curante cum D. Iustina Monacis Bonij Quintilibus facta conventio, quamlibet profecto. Siquidem hac Horti principium innititur, eademque firmatur.

In Christi nomine Amen. Anno currente a nativitate ejusdem millesimo, quingentesimo quadragesimo quinto indictione tertia, die Lunæ, septimo mensis Julij Paduæ in domo D. Fratrum Montis Orsoni super prato Vallis præsentibus Sp. Ju. Doct. Julio Sperono q.m ecellentiss. Art. et Medic. Doct. D. Bernardini

Cive Paduę, et Marco Dalzugnano q.m Eccelentiss. Art. et Medic. Doct. D. Jacobi Cive Paduę testibus vocatis, et rogatis &. R. P. Mathias de Venetijs benemeritus Colleg. et Sindicus Monast. et Conventus Venet. D. Monacorum D. Justinę de Padua Ord. Sancti Benedicti de observantia devotę Congregationis Cassinensis una cum Ven. D. Jovita de Brixia Decano dicti Monasterij dicto nomine et per se, et successores suos dedit, locavit, et affictavit per annos tres proxime futuros incaeptos ad Festum S. Justinę proxime futurę Clariss. D. Sebastiano Foscareno Doct. Patricio Veneto, et Senatori optimo, Philosophoque sapientissimo uni ex reformatoribus celeberrimi Studij, florentissimique Gymnasij Patavini ibi presenti, agenti, et conducenti pro Alma Universitate Dominorum Artistarum dicti Gymnasij Campos infrascriptos super quibus intendit fieri, facere unum Hortum Medicinalem tenoris, qualitatis, quantitatis, conditionis situatos, et infra confines, de quibus infra positos. Nam vero ratione ut durante pregen=

Hac

si locatione habeat jure afictus tenere ipsos cam=
pos, et usufructuare absque aliae contradictione di=
cens campos ipsos pleno jure spectare ad dictum
suum Monasterium, et promittens dictus D. Magnif.
Conductor dicto nomine manutenere, et conserva=
re in dicta locatione: ad favorem cujus locatio=
nis dictus D. Sebastianus dicto nomine promi=
sit dictis R.R. Patribus præsentibus, et stipulan=
tibus nomine Monasterij dictos infrascriptos
Campos bene tenere, et meliorari facere ad ar=
bitrium boni viri, et pro eis dare, solvere,
et respondere facere de afictu dicto Monaste=
rio auctoritate dominij sibi concessa sub die
19 Iunij præteriti per Cameram Fiscalem
Paduæ, sive Tractores Studij Ducatos viginti=
quinque in totum computato afictu Domus ad
rationem libr. 6.4. pro Ducato solvendos in una
Rata ad Festa Paschalia Resurrectionis 1546.
pactis infrascriptis solemniter appositis,
quod si non fuerit solutus integer afictus
de anno in annum, quod præsens locatio ha=
beatur pro nulla, et non facta quo ad re=

residuum temporis: Item quod quandocumque
dictus Conductor relasabit dictos Campos dedit, quod
Monasterium ipsum escomiaret et Monasterium pre=
fatum non teneatur modo aliquo, aliqua de causa
ad aliquam impensam persolvendam conductori
ex causa reducendi dictos Campos ad statum pro=
ut de presenti reperiuntur, et hoc per pactum
speciale, et expressum ita conventum. Item
quod dictus Magnif. D. Conductor non possit facere ali=
qua melioramenta nisi ea, que fuerint necessaria
pro plantatione simplicium, et distinguere
in quadros secundum consuetudinem Hortorum
simplicium, et quandocumque relasabit dictos Cam=
pos possit ea asportare facere simul cum fus=
tis, et plantis: Item quod dictum Monasterium tene=
atur suis expensis effodi facere fossatum versus eccle=
siam et proiici facere terrenum a latere suo: Item
quod dictus Magnif. D. Conductor teneatur fieri fa=
cere uno Portello levaduro de Legno che non sia com=
mun per conservanzza anche delli beni del Monas=
terio. Que omnia, et singula suprascripta, et in
presenti Instrumento locationis conserta promi=

serunt partes ipsę invicem, et vicissim solennibus stipulationibus hinc inde intervenientibus perpetuo firma, rata et grata habere, tenere, attendere, observare, adimplere, et modo aliquo non contravenire sub obligatione bonorum Monasterij, et Conductoris præsentium, et futurorum.

Campi de quibus supra.

Campi cinque, quarti tre manco tavole vinti, terra arativa con una Casa di Muro in solaro con il suo forno messi dentro delle mura della Città per mezzo il Monasterio del Santo confina a buora Mr. Tozzi da Cion mediante l'Acqua, a sera l'Acqua che va al Magio, a mezzo di le razon del Monasterio di Santa Giustina, a mattina Mr. Piero Zarinesso, così perticati ora mattina per Mr. Domenico dell'Attaco Perticador di Commun.

L. D. S.

Ego Joannes Jacobus Tassara Filius q.m ..

egregij Tabellionis D. Leonardi Civis, et abitator Paduæ in Contrata Falaroti Publicus Apostolica, et Imperiali auctoritate Notarius, et Judex Ordinarius suprascripta Instrumenta, de quibus dictus q. Pater meus, dum viveret, rogatus fuit ex Instrumentis suis fideliter in hanc publicam, et autenticam formam redegi, meque in fidem subscripsi signo meo solito apposito in robur præmissorum.

Comparato solo, Architecturæ ea gsare peritissimus Andreas Crispi quo curante Divæ Justinæ templum tunc ædificabatur, in consilium publice adhibitus, Hortum in sphæricam formam digessit, amplo in subcessivum relicto spatio, in quo Præfecti domus, æ desque Colonum structæ, et peregrinis stirpibus paratæ hybernacula, seminaria omne genus constituta, ac denique Arbores, quæ majoris incrementi sunt positæ. Et quoniam Hortus aqua circumfluente insula est, aditus introeuntibus structo ponte datus, ubi elegantis structuræ ianua collocata, in qua summæ leges ex Senatus Consulto exaratæ leguntur.

Triumviri literarij

I Portam horti decumanam ne pulsato ante diem Marci Evangelistæ ante horam vigesimam secundam.

II Per decumanam ingressus extra decumanam ne declinato.

III In Viridario scapum ne confrigito neve florem decerpito ne semen fructum ve substollito radicem ne effodito.

IV Stirpium pusillum succrescentemque ne attrectato neve areolam conculcato transitove.

V Viridarij injuria non afficiantor.

VI Nihil inscito Præfecto attentato.

VII Qui secus faxit q̃de carcere exilio multator.

Tum ne parum horto provisum videretur, quod longo circuitu adeundum erat, quo ramus Medoacus prope D. Antonij cænobium allabitur, magna mole pons construitur, et brevissimum, ac directum iter aperitur. Gemina itaque via hortus frequentari cœpit, quarum altera totam Civitatem ad D. Antonij templum convenientem vocat, altera a Vallis Prato, ubi nundinæ

habentur, tam advenas, quam Cives adducit. De loci autem salubritate, pulchritudine, decore quod attinet plura referre, cum præstat Veslingij epistolam, quæ ad hæc omnia declaranda usus fuerat, subticere, appositis etiam figuris, quibus Horti status Cortusi, et Veslingij evo qualis fuerit declaratur.

Petro Servio V. Cl.
Joannes Veslingius S. P. D.

Te verò felicem mi Servi, tam otij, quàm curarum! Et quanto tu dignior amœno illo Janiculi secessu, quem scitè elegranterque describis, quàm aut seditiosa plebs, aut vano metu perculsa pectora. Sequor institutum tuum et per vestigia tua repo, quamvis longo intervallo. Nam quod fugere te fortè non debeo, a quo tempore Horto Medico Præfectus sum, locum inhabito Patavinæ Vrbis longè amœnissimum, remotum à forensi tumultu, à rhedarum, opificumque strepitu, inter duo augusta, D. Antonij Confessoris, et Divæ Justinæ martyris Templa comprehensum, prope Brentæ ripas,

Quod per amenam Urbem leni fluit agmine flumen.

Ex eo versus Boream, Septemque triones, alpes prospicio, quę patrię fines, et lento bello funeratam Germaniam, non sine suaui moerore mihi representant. In proximo verò curiam amplissimam, palatia, tum publicam illam Mineruę arcem, atque in ea theatrum illud, quod Vesalij, Fallopij, Fabritij, Spigelij, hominum doctissimorum utilissimi labores non cruenti gladiatorum ludi, satis nobilitarunt. Orientem versus in campos excurrunt oculi, frugum fertilitate, uinique saluberrimi copia nulli secundos, quos bellantibus undis iracundus Adria deinceps excipit, et illę Neptuni dicam, an Apollinis manu fundatę Venetię. Cum ad Occidentem Solem conuertor, ueniunt in conspectum Euganei colles, pulcra serie, lętissimoque uirore mirè voluptatem oculorum accendentes, tum è tot medicatorum torrentium venis assurgens fumus. Aponus prę sertim verè ἄνοσός τε καὶ λονιοτος de quo rectè, non ambitiosè Claudiani Musa cecinit.

Ille pater rerum, qui secula diuidit astris,
Inter prima soli, te quoque dona dedit.

E cubiculo meo cum ad Austrum vultum circumfero, non Cereri, sed pudicę Florę dicatum Civium intueor. Hortum

scilicet, omnium quot per Italię tractus uidere licuit, structura pulcherrimum: quemque uel eo magis commendes, quo minus tessellato emblemate, fontium artificio, marinis corallijs, conchyliorumque crustis, et signorum pompa; sed natiua potiùs uenustate consurgit uniuersus. Forma rotundus est, ualido è lateribus muro, propugnaculi instar cinctus; quem tamen hederę exterius, interius Lauri penitus occultant. Dirimitur è centro suo quatuor in quadrantes, totidem Florę templa, totidemque hortos amplitudine comprehendentes. Hi quingentis areolis in stellas, rosasque digestis, non tam uulgaris notitię plantas, quam rariores stirpes exhibent, quas Carolus Clusius Atrebatum decus, et Fabius Columna, uir ingenio oculisque Lynceus, preclaris monumentis, mystis Phębeis delinearunt. Magno profectò iuuentutis nostrę bono, quę in hoc amęno compendio facile discit, quorum maxima pars ingenti dispendio, atque itinerum difficultate, per abrupta montium conquirenda foret. Eo à me adhibito studio ne quid semel positum, sequentibus in puluillis repeteretur; sed multitudinem herbarum, gratissima oculis uarietas comitaretur. In quadrantium singularum internis angulis, eleganter assurgunt metę, hedera corymbifera indutę, è quibus per fistulas plum-

beas-

plumbeas aquæ provumpunt, siti squallantes plantas largiter refecturæ;

- - - - - - cum Procyon furit,
et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.

Ornant areolas arbusculæ uariæ, precipuè regia Laurus, Zizyphus alba, vitices uario florum colore, phyllire, pyracanthi, iuniperus, rosæ, sambucus, et uerbasci arborescentes. Cumque collectæ in uerticibus montium herbæ, sub acriore sole difficulter ætatem ferant, umbram æstuante solo, atque opacum frigus præbent, cupressi proceritate insignes, ac potissimum à dextris abies, terebinthus, alaternus, carpinus: à sinistris ingens platanus, cerrus Theophrasti, larix, tilia, stirax. Adiacent quadrantibus segmenta peripheriæ octo, partim laureo, buxeoue sepimento, partim à ligustris, atque ulmis tonsili plexu inclusa: è quibus quatuor orientem, occidentemque solem spectantia, rarissis, hyacinthis, lilionarcissis, leucoijs, Aphricano tanaceto, solano mirabili, amaranthisque ornare uolui, ut plebeios oculos, et manus procaces, à nobilissimarum stirpium iniuria diuertant. Distinguunt reliqua Horti latæ uiæ, ad quatuor oppositas è regione portas euntem

perducentes.

perducentes. Laxius quoque per circuitum ambulacrum est, à quo sensim versus ambientem murum acclivis, ac velut in collem assurgens tellus, arborum pomiferarum leta specie, tum africana loto, ac rhoë consita, amenissimi nemoris intuitu, circumspicientium luminibus metam imponit. In hunc, mi Servi quotiescunque pedem penetro, exulare viles omnes, sordidasque curas iubeo. Nil inter papavera sua Tarquinio, nil Catoni vestro invidens: Lucullum ipsum, et Diocletianum in Horto otiantes Principes, meliora bona mentis cultu superare contendo. Per occidentalem portam cum regredior, à sinistris obviam ex pyriferis arboribus, platano, fraxino que sylvam habeo, tum canis salicibus maritatam vitem: à dextris edes meas diverso rosarum frutice, marina palma, granadilla Hispanico latiusque parva Indica clematide, à fundamento decoras. Harum faciem posteriorem Canadensis quinque folia vitis, reptili aviditate occupat totam. Sub ea hortulum obtineo maioris descripti seminarium, qui tantò mihi magis in delitijs, quanto variora sunt, quæ brevi, sed facundo sinu complectitur. In eo arborum acida poma ferentium, et iasminorum ex Arabia, Indijsque fragrantia, post lugu-

brium –

Lugubrium tractationem serio reficior. In eo quidquid ex Americanis, Creticisque gelantis asperitatem hyemis ferre non potest, fictilibus conditum asservo. Haec oblectamenta studiorum meorum sunt, imò haec incitamenta; quibus ita afficior, ut de praxi medica parum solicitus sim. Abundè contentus si amicis, exterisque huc diuertantibus, operam meam impendam. Itaque animo te sequor optimè Servi, et ad exemplum me tuum porrò componam. .... βραδέος μέχρι γήραος οὐδοῦ. Quod iuueni qui Illustrissimo Episcopo Tomasino à secretis, tam promptè tam benignè adfueris, plurimum gaudeo: nec dubito laudatissimum Antistitem, grato mente collatum in suos beneficium, excepturum. Vale feliciter, atque in publicis Gymnasii feriis praeter solitum loquaci, ueniae gratiam impertire.

Scribo Patavii XXIX Augusti A.S. MDCXLVI.

EXPLICATIO MAPPÆ FUNDAMENTALIS.

De Horti Custodibus.

Constituto stirpibusque exornato Horto culturæ diligentius prospiciendum erat, tum quia inexperta operarum manu plurimæ stirpes, ac rariores runcando evellebantur, tum etiam quia assidua custodis cura necessaria videbatur, qui semina opportune legeret, qui aquam perite proferret, qui pro stirpium naturæ aptam cuique sedem, ac proprium solum tribueret; multa enim assiduo sole lætantur, multa umbra gaudent, multa utriusque mediocritate contenta felicius adolescunt, et confirmantur. Itaque Gymnasii Moderatores Horti incremento prudentius consulendo Petrum Antonium Michaelem præstantem Senatorem, ac stirpium doctrina ea ætate insignem summa potestate anno CIƆIƆLI Horto præficere, ut in publicos fastus relatum est. Custodis item constituendi, proposita annua florenorum XX mercede, facultate facta. Quare Horti cultus Jacobo Tarvisino, eodem Michaeli curante, attributus, qui in annum CIƆIƆL XV quo Franciscus Farinatus eadem mercede suf=

Præfectus fuit, alendis stirpibus sedulam operam dedit. At Darinatus indiligenter cum se gereret segniterque, Melchiori Guilandino tunc Præfecto, ut quem vellet, et strenuum existimaret, custodem haberet, anno CIↃIↃLXV concessum. Hic igitur Cal. Jan. insequentis anni Mattheum Borghesanum culturæ delegat, ejusdemque manu, et sedulitate per annos IX utitur. Exinde quoniam unius opera res herbariæ minus prospere cedere visa, bini homines quotidiano labori addicti conducuntur. V igitur Cal. Jan. anno CIↃIↃLXXIV Senatus Consultum fit, quo Guilandino deinde curæ esse injungitur, ut in Guilandini vita plenius exequemur. Quæ consuetudo, vivo Guilandino, servata ut ephemerides quæstoriæ ostendunt, in annum CIↃIↃXC permansit. Ex hoc autem anno delabente, quo naturæ Guilandinus concesserat, atque horti administratio Jacobo Antonio Cortuso fuerat demandata anni CIↃIↃXCIII in ad. 10 Id. Sext. de custodibus nihil memoriæ traditum habemus, ipsa summi Ordinis sanctione, qua anno CIↃIↃXCIV Id. Novembr. Cortuso præfectura decernitur, Colonos prætermittente. Id in annum CIↃIↃXCIII delatum, quo cultores

conducendi, ac mercedem determinandi facultas IV
non. Sext. per Senatum Cortuso tradita. Alicitaque
VI Id. Sext. binos homines, quorum alter Melchior
Joantonus, alter Baptista Carradius dicebantur
horti cultui adiicit, eorumque nomina ad ærarii quæs-
tores profitetur, ut Joantono (qui velut Villicus præ-
erat) libræ CDXCVI, Carradio CCCLXXII quotannis ero-
garentur. Per quos autem operarios, a Guilandini
interitu in hoc tempus fuerit cultura administrata
nullæ litteræ docent. Præfecti prudentiæ cultores legendi
prorogata potestate, ac Carradio sive vita functo, si-
ve alia de causa ab Horto submoto, ejus vices Bar-
tholomeus Disus, eodem Cortuso auctore, anno CIↃIↃ-
XCV VI cal. Mart. subit, eodemque libratum CCCLXXII
annuo premio stirpibus colendis ad annum CIↃIↃC ope-
ram navat. Porro hoc anno augendæ colonorum mer-
cedis ob ipsorum industriam, et sedulitatem initi-
um fuit, jubentibus Triumviris, ut Joantono in pos-
terum annuæ libræ CIↃCXX penderentur, Diso CDLXV.
Iterum anno CIↃIↃCXIV magistratus liberalitate
Joantono annuas libras LXII, Diso XXXVII accessisse
litteræ XLV cal. Sext. Urbis Moderatoribus missæ, atque

in publicas rationes relata, testantur. Horum di=ligentia, et labore cultum hortum ad annuum CIƆIƆCXVIII invenio, quo extremo Februario cum diem suum Bartholomeus Rinus obiisset, cultores conducen=di potestate ab Horti præfectis ad Magistratum de=vocata, Dominicus Joannettus Carabinus VII id. sext. sufficitur tot nummis, quot Rinus cultui operabatur, in annuum sumptum constitutis. Iisdem conditio=nibus post annos VII Blasius Asolanus sive dimis=so, sive extincto Joannetto (nam utrum ignoratur) secundus in Horto renere IV cal. Quint. jussus, et V cal. mart. an=no CIƆIƆCXXVIII Ionelus primas, quas per annos ferme XXXVII obtinuerat Joentonus. Neque Jonelli diuturna opera; nam anno CIƆIƆCXXXIV ejus locum Joanni Mariæ Zanchetto annuis florenis LXX fuisse attri=butum inter Gymnasij acta custoditur. Eadem quo=que monumenta Blasio Asolano Joannem Machio=num annectunt, et prima tyrocinia anno CIƆIƆ=CXXXI in Horto posuisse ex Moderatorum decreto, quod quod subductum Venetijs in publico tabulario servatur datum anno CIƆIƆCXLI XVII Cal. Febr. aperte mani=festum. Equidem huiusmodi tabulas eo libentius

commemoro, quod non solum primam Machioni sti-
pem, quę huic ex annuo labore procedebat, flore-
nos LXVI fuisse definiunt, sed etiam alteram
post annos X ad florenos XC amplificatam os-
tendunt.

Ut temporum ordo quantum veteris libri
valde implicati, et confusi sinunt, retineatur,
ad cultorem Zanchettum redeamus. Hic per
annos tres cum ęs publicum sub Alpino Pro-
speri Filio prefecto meruisset, ad ignaviam,
et socordiam relapsus inhonestus dimittitur, Ju-
lio Rizis anno CIƆIƆCXXXVII V id. Sext. per Tri-
umviros subrogato, florenisque LXVI quotan-
nis collatis. Atque anno CIƆIƆCXLV ejus ne-
glecta industria florenorum summa LXXX
in annua alimenta constituta; eademque anno
CIƆIƆCL ad florenos XC redacta hac ratione utri-
usque cultoris opera pari mensura afficitur.

Mirari quoque subit ea ętate, qua exigu-
us stirpium numerus, ut illa tempora fere-
bant, colebatur, preter binos Cultores publi-
ce in Horto altos, tertium etiam mercenarium

ad operis supplementum quotidie solitum con=
duci. Quod ne extra fidem veritatis excessisse
videatur, ex his, quæ subiiciam, abunde cognoscetur.
Joannes Machionus cum adultum filium haberet,
supplicem libellum Magistratui anno CIↃIↃCLI
dedit enixe rogans, ut quoniam laboris socium
culturæ causa alendi publico ære mercenarium
consuetudo vigebat, Antonium Filium opera=
rium haberi sibi liceret. Quod æquum approban=
tibus Triumviris, ut postulabatur, conducticiæ ope=
ræ stipes Antonio Machiono IV cal. Januar. eodem
anno decernitur, cum Julius Cirius alter ex Culto=
ribus viveret, et locum suum teneret. Hoc bene=
ficium tam juste petitum, quam jure in Ma=
chionos collatum. Cirium in Emulationem pri=
mum accendit, deinde in superbiam extollit,
tum in invidiam detorquet, demum ad insaniam
redigit; cernens enim Antonium Machionum
publica sanctione in Horto mereri, certoque
signo ad suum munus si quid humani sibi acci=
disset, portendi, Magistratum adit, petit
Filium suum Philippum inter Horti Virida=

tios successorem declarari, publicas ædes in qui=
bus Horti Præfecti habitare solent, sibi, ac Fi=
lio attribui, ac quicquid soli a stirpium cultu
vacabat in lucrum Filio cedi. Quæ omnia Trium=
viri nihil dolo malo agi opinantes decreto sanxe=
runt. Tunc Georgius a Turre Horti Præfectus
qui, cum Patavinus esset, propriam domum
procul ab Horto incolebat, Fizij arrogantia
maximopere concitus, seque ex bonorum suorum
posessione moveri, atque eiici moleste ferens,
Triumviros obsecrat, eorumque fidem, et cle=
mentiam implorat ne se immeritum mulcta
afficiant, atque inauditum damnent. Præfecti
+ jussa, atque æqua conquerentis precibus permo=
ti Gymnasij Moderatores Patavinæ Civitatis Re=
ctoribus litteras dant, quibus dum postulatio=
ni vacant, soli reditus præsenti pecunia licere, +
eademque servari jussa. Interea perspecta, ac
probe cognita Fizij Persona, dum Fizius omnia
sibi vindicat, neque sua sorte contentus in aliena
tanta amentia fertur, nulla Præfecti, cujus
rogatione tot beneficijs per Magistratum exor=

natus fuerat, in se meritorum habita ratione, Triumvirali imperio prid. Cal. Mart. anno CIƆIƆC LX cum Familia protinus abire cogitur, perpetuoque ab Horto relegatur. Et ne aliæ Cultores propter hujus Præfecti absentiam in postarum audebent, Georgius a Turre ad incolendas publicas Ædes accersitur, ibique proprium domicilium habere jubetur.

Expulsis, atque exturbatis Ciriis, Machionos biennio solos Horto colendo vacasse Triumvirorum litteris V Cal. Febr. anno CIƆIƆCLXII datis declaratur, quibus etiam præmia utrique decernuntur, Machiono seni annuis florenis XXX cohonestato, ejusque Filio ad Julii Cirii officium et mercedem evecto. Atque præterita tempora gratuita habita; quippe præter id quod Antonio, tamquam Mercenario pro quotidiana opera depromptum fuerat floreni L ex Gravio expenduntur. Attamen non diu tanta liberalitate Antonium frui fata sinunt, quem anno CIƆIƆCLXIV vitæ subducunt. Post hujus occasum, quoniam unius hominis, atque ætate provecti manus ad

omnia præstanda impar erat, statim Georgi=
us a Turre Thomam Andreolum Triumviris
per litteras commendavit, eoque suffragatore fa=
ctum est, ut Andreolus defuncti Machioni et
munus, et conditionem obtineret. Hoc eodem an=
no cum Ærarii Ministri cultoribus pactam pe=
cuniam decimarum titulo imminuere vellent, hac
re ad Senatum delata, Patres prid. non. Febr. ne
quid hoc nomine detraheretur, sanciverunt. Quod
opportunum ducimus in memoriam revocare,
ut omnes intelligant beneficiis omnibus, atque
immunitatibus Hortum publice semper exor=
natum.

Ad alia, quæ propositi ratio exigit transea=
mus. Civiosum mores, atque instituta Thomas
Andreolus imitatus senescentis Machioni, cui ex
Filia nepos Antonius Tita supererat inter Stir=
pes eductus, et culturæ peritus, locum occupare
nixus per Magistratus indulgentiam anno CIƆIƆ=
CLXXXII V non. Octobr. facile eumdem assequutus
est, exceptione tantum facta, ne vivo Machiono,
munus iniret. Hac novitate perculsus Machionus

magna molestia afficitur, quod alia moderatione se usum meminerat, cum Antonium ex se natum non Iulio Bizio, cui longiori servitio præibat, sed sibi operarium (quod ultimæ sortis gradus erat) a magistratu petierat subrogandum. Constanti tamen animo omnia ferens, cum annos LXXX explevisset, ex quibus LIV in colendis Horti stirpibus confecerat, nihil aliud nisi Nepotem Titam laboris socium sibi postulavit, suo sumptu eumdem alturus professus. Gratuita operæ libenter admissa, ac secundarium Custodis munus post Avi mortem ultro Titæ oblatum, decretoque nonis Febr. anno CIↃIↃCLXXXIII statutum. At Andreolus, posteaquam primas prospere sibi cessisse videt, iisdem artibus insistere fautoribus diligentius, quam culturæ inservire omnia quæ in rem suam futura animadvertebat, curare pergens non difficulter a magistratu impetravit, ut annui floreni X anno CIↃIↃCCLXXXVII V cal. Iul. sibi adiicerentur, atque anno CIↃIↃCCXCIX IX cal. Sext. XL qua summa non tantum superioris ætatis cultores omnes, verum etiam ipsum Machionum, qui publico servitio per annos

LXV innixus florenis CXX merebat, longe post se reliquit.

Hoc eodem anno CIↃIↃCXCIV Joannes Machionus moritur homo plurimi laboris, et in stirpium cultu, ac peritia valde probatus, in cuius locum, ut constitutum fuerat, Thomas Andreolus IV Cal. Mart. successit. Subiicitur eius Filius Sanctus, florenis XC annuis decretis; quod Antonius Tita Machiani Nepos, quem anno CIↃIↃCLXXXIII ut retulimus Cultorem secundum Triumviri designaverant, Andreolo obtemperare, et ejus mandata exequi abnuebat. Equidem Tita cum paucis stirpium cultoribus ea ętate conferendus erat, propterea a Joanne Francisco Mauroceno Equite, ac Senatore pręstantissimo continuo susceptus, et horto, quem Patavij in vico D. Maximi stirpibus exornaverat, prępositus summa cura, ac diligentia effecit, ut omnes cognoscerent quantum sedulâ manu, ac providâ opera, res herbaria amplificetur. Itaque Maurocenus hortus unius hominis industria magnum nomen, et famam nactus, editoque etiam ab eodem Tita libro

apud exteras gentes celebratus, eousque floruit et decus retinuit, quod ejus cultor inter Mortales permansit. Contra publicus dissimilem cultum sortitus maximum detrimentum accepit, veteri dignitate Colonum socordia deobscurata, stirpibus nobilioribus, vel ignavia consumptis, vel ære distractis, collapsæ culturæ disciplinæ, atque Herbarum jacturæ Præfecto Vieli opem frustra ferente. Postea vero quam hic omnia expertus nihil auctoritate, nihil reprehensione, nihil minis se proficere animadvertit, extrema adoritur, ac de miserrima Horti conditione cum Magistratu conqueritur, auxiliumque implorat. Tunc Gymnasij Præsides anno cIↃIↃcc II VIII Id. Jul. Urbis præfecto datis litteris, utrumque cultorem ad se accessere acriter negligentiæ, contumaciæ, flagitij increpare, ipsumque Vialim monere, ut eosdem ad officium cogat, quotidianæ operæ exactor severus existat, ac magistratum hac de re sæpius certiorem faciat, jubent. Sed non leli morbo laborabant Andreoli, qui lenioribus remedijs curari possent. Ad hæc fautores accede=

stant, quorum gratia, ac potentia ipse Praefectus
quasi innocuos calumniis vexaret, in invidiam
adducebatur. Prudentiae igitur esse statuit Praefectus
dum cultura, ac studium ex sententia minime
succedit, temporibus se accommodare, atque parum
validus, non proficientiae rector, cervicis rigidae
frena remittit equo, posthabitis stirpibus, totum
animum ad Hortum marmore, fontibus, atque
alijs ornamentis decorandum convertere. Quo con=
stituto, sive ut Andreolorum patronos sibi con=
ciliaret, sive ne adversarios haberet, sive deni=
que, ut certa fama ferebat, quod ingravescente
aetate, memoria defecta Andreolorum peritia (
quantulacumque erat) ad stirpium historiam
necessaria sibi videbatur, totam culturam, stir=
pesque Colonorum arbitrio relassat. Quin etiam
haud a suis rationibus alienum judicavit commen=
datitias literas anno CIↃIↃCCXI scribere, quibus
Thomam Andreolum tamquam de horto beneme=
ritum magistratui repraesentabat. His nec non fau=
torum vi, atque auctoritate XX annuos florenos,
quos a Machioni interitu, ut primus in Horto bene=

ageret, contempseret (consueta enim primi Custodis merces florenis CXX definita fuerat) ex a. d. IV Cal. Jun. Andreolo rependi coepta. Non dissimili Consilio Sancto Andreolo Patre longe desidesiori, magisque inerti, et vitijs referto apud Triumviros patrocinatus est, ejus emerita stipendia, labores, diligentiam extollens. Quo encomio Senatus anno CIↃIↃCCXVII XIV Cal. Octobr. ~~florenis~~ X florenis annuae mercedi adiunctis, primus Custor, defuncto Patre, designatur. Praemio, socordia, desidiaque affectis, atque in Andreolodum familia (binis nemque praeter Sanctum virilis sexus filijs auctus erat Thomas, quorum natu minimus Sancti Successor destinabatur) confirmata Horti possessione, cum omnia ad stirpes attinentia pessum irent, laetam, ac tranquillam vitam viridarijs agebant. Sed paucis perpetua, ac stabilis felicitas datur. Ecce Abbas Vialis ad summum humanae conditionis gradum provectus subitaneo morbo, quem αποπληξιαν vocant petiti, corripitur, atque in magnum vitae discrimen adductus ad omnia torpet. Inopinatus casus ingentem terrorem Custoribus

adiicit; ideò è vestigio de successore sollicitì, et præteritorum conscientiæ anxij ad patronos di=
currunt, rogant flebiliter, ut totis viribus re
petitus ac sedulius præfectus sibi imponatur,
incumbant. Itaque hac de causa magno fautorum
conatu apud Triumviros actum est, diuque publi=
ca cura in partes distracta. Tandem Iulius
Ponteders huius historiæ scriptor secus atque
Andreolorum vota exoptabant, anno CIↃIↃCCXIXX
VII cal. April. per Senatum Vialis Successor decla=
ratur. Qui Horti administratione confestim susce=
pta (neque enim mora ulla interponenda, cum
per dies XLV omnia ad historiam tradendam expe=
dienda erant) cultorum animos, quos abiectos, et
consternatos minime ignorabat, erigere, ac confir=
mare, seduloque eos monere, darent secum operam,
ut omnes faterentur, stirpium copiam, qua pro
virili Hortus exornaturus erat, ad Præfectum,
cultum, atque ipsarum conservationem ad viridia=
rios esse referendam: præterita ad se non perti=
nere: futura tantum curaturum, quæ quo melius
procedant stirpes, semina, operas per quas labo=

riosiora peragantur, ceteraque ad cultum necessaria a se polliceri: et ne inania jactasse videretur, vel ne graviora, quam ferre possent, sibi injuncta Cultores secum, et cum alijs expostularent, plures Operarios conduci, vasa fictilia emi, instrumenta parari, vetera sterquilinia conquiri, et ad hortum invehi, fontes refici, seminaria fieri sine cunctatione jubet, ad omnia pecunia actutum deprompta. Stirpes quoque, ac semina ex universa Italia arcessere, peritos Homines ad montes, et maritima loca delegare, ipse quoque circumire, vivasque radices quotidie ad hortum mittere simul instituit. Hoc maxime modo, assiduaque cura consequutus est, ut ad Cal. Majas cum Hortus publice aperiretur, satis pro temporis angustijs paratam ad historiam haberet materiam.

Ad pristinum decus restituto Horto, stirpibusque ornato, Praefectus publico munere functus Cultores ad se vocat, praecipit singulis, ut in officio sint, sibi audiant dicto, ac sua pecunia, industriaque amicorum liberalitate parta, et minimo ipsorum labore constituta diligentia, atque assi=

assiduitate tueantur. Hortorum culturam quotidia=
nam operam exposcere, curam magis frequentem,
et gravem, quam laboriosam, sed interruptam pro=
ficere. Omnia opportune esse præparanda; nam si
quid negligentia cessat, omnis annuus labor confun=
ditur, et perturbatur. Nullam esse sine Hortibus
profectum, eamdemque se non precariam gerere,
sed cum omnia ad publicam utilitatem, et decus re=
ferat, privatis rationibus posthabitis, in id con=
niti, et toto pectore connixurum, ne Horti nomi=
ni, et incremento, ne Triumvirorum de se judicio, ne
amplissimi ordinis sapientiæ, ne demum Gymnasij
Patavini gloriæ ullo tempore defuisse videatur.
Quare ipsi quoque, quibus labori vacandi, ac sibi pa=
randi onus impositum est secum contendant, atque
Horti cultum ad aliquam speciem restitutum
nitidiorem, ac fructuosiorem reddant, proque cer=
to habeant egregia facta validius quam clientelas
universas ad omnes casus præsidium illis futura.
Præsentem Horti statum Moderatoribus qui pro=
ximis præteritis diebus publicæ historiæ inter=
fuerint innotescere; ideoque nullum excusatio=

nis locum si ipsorum culpa deterior evaserit, relinqui. Haec loquutus non nescius ob motum depravationem in cassum fundi, quoniam Montanae Stirpes in Horto desiderabantur, ad Alpes proficiscitur, se quam primum cum stirpibus rediturum denuncians. Patavio vix egresso Praefecto, Andreoli metu omni, et verecundia soluti, ad pristinam consuetudinem revolvuntur, ac vitijs non occulte, sed palam affatim indulgent. Igitur rariora quoque pecunia distrahunt fictilia vasa aere item permutant, caetera, quae emptorem non invenere, ariditate, negligentia, malis herbis, quas tam diu parum culta tellus sua sponte abunde fundebat, interire sinunt. Equidem dum quis haec oculis perlustraverit, percipiet sane, maxima vitia stultitiam esse; nam nemo nisi emotae mentis talia nullo etiam flagitio contaminata perpatrare potest, quibus id evertitur, quo alitur, et sustentatur. Quid de noxia dicam, qua quis tam manifesto tenetur? Numquid perpetuam impunitatem sperare potest, dum saepe quo tardius improbitas vindicatur, eo gravius punitur? Caeterum

post dies XL redux Praefectus, ut tantam stirpi=
um jacturam animadvertit, insanabile Colonorum
ingenium, eosque non vitiosos homines, aut mor=
bosos, sed ipsum vitium esse, et morbum, qui
leni medicina corrigi, et mutari non posset, co=
gnoscit; quare extrema remedia tentanda. Ad Ma=
gistratum continuo litteras dat, quibus miseram,
acerbam, ac luctuosam Horti conditionem signi=
ficat, nullum jam suae industriae, ac diligentiae
tam brevi temporis spatio superesse vestigium,
se annuo labore, et maximo sumptu consumptis
frustra cum inveteratis vitiis colluctari. Nihil
non notum nunciabatur. Sed ad leniora ex antiquo
instituto propensus Magistratus Urbis Rectori=
bus mandat utrumque cultorem ad se accitum
contumaciae, et nequitiae vehementer redarguere,
ac subinde publicae patientiae abusos placita pe=
cunia multare. Omnia inutiliter acta; ea enim
erat morum corruptela, ut neque beneficio, neque
objurgatione, neque pudore, neque poena emenda=
ri, ac restitui posset. Quapropter per potentissi=
mam Fautorum gratiam in annum CIↃIↃCCXXI

dilata animadversione, nonis Decembr. decretum est, ut uterque Cultor Piziorum exemplo Horto excederet. In hoc tamen publica clementia emicuit, cum statutum fuerit, ut florenis C Thomas Andreolus dum viveret, ex ærario quotannis aleretur. Interea loci ne Cultor aliquis Horto deesset, Sanctus Meliorinus Patavinus Operarius annua florenorum LXXII mercede eodem tempore culturæ suffectus. Insequente anno a Præfecto Magistratui proponitur Sylvester Latinus Genensis Homo multæ industriæ, et fide, atque assiduitate probatus, quem Triumviri primum Custodem, annuis florenis CXX statutis, V cal. Mart. decernunt.

His cultoribus Hortus refici, ac recreare cœpit, nam inculta quæque stolonibus, et sentibus obsita renovari, lætificari fimo, stirpibus conseri; male culta repastinari, nocuis herbis expediri, ad summum nitorem distingui, antiqua Specularia resarciri, nova institui; cætera denique, situ, squalore et sordibus detersis in ampliorem formam redigi eodem tempore institutum. Haud secus omni cogitatione, studio, cura Præfectus in id incum=

bere, semina, et vivi radices ex remotis regioni=
bus evocare, frequentes peregrinationes suscipere,
ac stirpes in Hortum devehere, cultores præsen=
tia, hortamento, laudatione, premio assiduos red=
dere, cum probe sciret quantum in rem herbariam
amplificandam, et custodiendam industriæ, operæ
diligentiæ conferre possit. Hac ratione Hortum
hornatissimum, stirpibus refertissimumque ce=
leriter efficit. Neque deterior factus, cum anno
CIƆIƆCCLXXVII Sanctus Meliotinus summis laboribus
impar hinc emigravit; illico enim eius Frater
Antonius intermissum opus suscepit, Triumvirum
auctoritate loco, et mercede, quæ Sanctus obtine=
bat concessis. Ineunte anno ex quo Sylves= +
ter Latinus colendis stirpibus sedulam operam
præstabat, majorem in modum Præfectus a ma=
gistratu petijt, ut aliquod liberalitatis genus,
quod ab ejus humanitate proficisci poterat, in
custodem tam benemeritum conferret. Approba=
ta rogatione CXL annui floreni supplemento ex=
pleti: Omnia satis feliciter, atque ex Præfecti
sententiæ in Horto gerebantur. Attamen ad varios

fortunæ eventus prospiciendum erat; quoniam to=
ta stirpium custodia ab uno Capite pendebat, cum
Meliorinus manu tantum operaretur, litterarum
studiis, et culturæ. Filius erat Sylvestri unicus Joan=
nes, quem parvulum in Hortum Pater adduxerat.
Hunc si fessus jaceret Sylvester, aut mortem
occumberet, succedaneum parari optimum visum.
Quare Parentes hortatur Præfectus, ut adolescen=
tem inter stirpes educant, atque a primis annis
labori assuescant. se apud Triumviros cum perœta=
tem licebit, curaturum, ne ejus opera inhonora
prætermittatur. Obtemperatum est. Colendo adole=
scit Joannes assiduus Parentis Socius, et Discipulus.
Annum decimum octavum cum ingrederetur Præ=
fectus Magistratui ostendit binos Homines pro=
pter stirpium numerum culturæ minime suf=
ficere, tertium necessario parandum, eumdem=
que artis peritum, qui primi Custodis, si forte
morbo implicaretur (quod Meliorinus manu tantum
operabatur, litterarum studiis, et cultus) vices a=
pte subiret. Quem comparatu quoniam difficilli=
mum fore prospexerat, se dedisse operam, ut in

Horto creverit, et laborando profecerit, ne cum opus esset, extrinsecus quæreretur: Sylvestrii Viridarij Filium esse Joannem, qui a prima ætate ad annum XVIII cultui addictus est, atque experientia talem se ostendit, ut ex quotidiana intentione certum specimen capi possit. Ad hoc tempus paterna impensa sustentatum: æquum jam esse Parentem levare onere, et simul Juvenis animum aliqua liberalitate devincere, ad meliora erigere, atque ad inceptum beneficio accendere, ne victus necessitate in diversa trahatur, et aliunde fortunam suam investiget. Si ad vetera respiciatur, haberi in Machionis exemplum, cum in illa stirpium paucitate tertius Cultor publice aleretur. Præfecti Consilio, ac providentiæ assentiuntur Triumviri, Joannemque Latinum inter publicos Cultores nonis Junij anno CIƆIƆCCLXXXVIII adscribunt, et florenis annuis L alendum decernunt. Eodem tempore merces annua florenorum LXXX Antonio Meliorino constituta. Valida ætate jam auctus Joannes, et servitio, ac diligentia probatus, annuis florenis X. Præfecto operam suam præbere, anno cohonestatur +

Sylvestro Latino vita defuncto anno ineunte MDCCXLVIII Filius eiusdem Joannes primus Horti cultor a Magistratu statim decernitur constituto annuo stipendio Florenorum CXX, atque cessante extraordinaria mercede, quę ipsi vivente Patre anno MDCCXXXVIII fuerat assignata, cum inter Horti Cultores fuit adscriptus, atque Parentis successor ferè designatus. Sed Joannes idem qui Patre vivente à Prefecto diligentię et industrię laudem meruerat, atque a Triumviris, Prefecto flagitante, singulare ad meliora incitamentum, eodem mense nondum exacto, a quo primus Cultor est declaratus, ab hoc munere Triumvirum litteris removetur eiusdē immerens, qui binas stirpes rarissimas perire, alias plurimum pedi negligentia siverit; et Horti Prefecto a Magistratu iubetur, ut hominem huic officio aptum inveniat. Proponitur itaque Magistratui a Prefecto Andreas Candianus Patavinus, atque anno MDCCXLVIII a Triumviris primus Cultor decernitur, Florenis annuis statutis CXX, eiusque partes esse declaratur stirpes attente colere diligenterque custodire, a Prefecto rerum omnium in Horto gerendarum iussa recipere atque ab ipsius voluntate omnino dependere.

Annorum quinque sedulam et sufficientem operam cum contulisset Candianus, alio avocatus, anno MDCCLIII Primus Horti Cultor a Magistratu decernitur Petrus Arduinus Veronensis, statuto annuo stipendio Florenorum CXX, quod Precessori, iisdemque partibus

partibus confirmatis. Hic dum stirpibus diligenter colendis insudat, desiderio simul rei herbariæ introspiciendæ commovetur, atque non modo manū operi præbet attentam, sed etiam ingenium. Copia alle-ctus stirpium et seminum tum in horto nascentium, tum ab exte-ris regionibus advenientium, Botanicorum libros pervolvit, systema-ta explorat, Præfecti usu et consuetudine eruditur, et ipsi suam operam aptius præstare valet, atque discentium commodis facilius inservire. Quapropter, cum industriæ suæ et recte impleti muneris per annos quatuor specimen protulisset Arduinus, anno MDCCLVII e vita sublato Horti Præfecto Julio Pontedera dignus aptusque Trium-virum honorifico iudicio est habitus, cui horti custodia commendaretur, usquequo hortus Præfecto caruisset. Per litteras itaque ad vobis Rectores mandant Triumviri Arduino, ut duorum horti cultorum opera adhi-bita plantas diligenter custodiat, colat, conservet, numero augeat sementes, transplantationes, plantarum in hybernaculis collo-cationes iuxta methodum peragat à defuncto Præfecto institutam: cætera omnia quæ ad Hortum pertinent eiusdem curæ esse comissa: Mechina hydraulica si quid reparationis exigeret, ipse referrat Rev.mo P. Alberto Columbo Astron: et Meteor: Professori cuius opinione ad Magistratum delata, ab eodem Magistratu provisum fovet. Im-pense, si qua esset occasio, eam Concellario Universit.is Joseph Mi-nato referret, qui a Magistratu legem peteret: hæc omnia præsta-

ret-

attente, atque à recta administratione Magistratus gratiam sibi polliceretur.

Sic interim horto consultum, dum a Triumviris per litteras tum ad exteras regiones, tum intra Venetam ditionem Botanicus quæritur qui Horti celebritatem, et Pontederæ famam sustineret. Plures Egregij Viri proponuntur, atque post annum Triumvirorum consensu Horti Præfectus eligitur Joannes Marsili Venetus, qui in Botanica, et Medica facultate, atque politiorum Litterarum studio tum in Patria tum in exteris regionibus Etruria, Gallia, Anglia a quibus mox regrediebatur docti et versatissimi famam sibi conciliauit. Quæ fusius dicendi in altera sectione occasio erit.

Eodem tempore Arduinus, cum a Magistratu implorasset aliquod mercedis annuæ incrementum, Triumviri annuerunt, atque ut præmio gauderet ob recte habitam horti custodiam, tum ad meliora contenderet. 80. Florenis annua merces est aucta, quod augmentum homini benemerito, non muneri addictum intelligeratur.

Simul Arduinus Præfecto a Triumviris designato rei in Botanica peritiæ et in ipsum devotionis specimen proferre voluit, atque stirpes aliquas a Botanicis aut non descriptas aut leviter adumbratas cum descripsisset et illustrasset, libro typis edito promulgauit, tabulis æreis à se ipso incisis, eumque Marsilio dicauit, ex quo laudem et à Præfecto, et à Botanicis sibi comparauit.

Hisce recte peractis Arduinus quod humanum est, a Magistratu petijt sibi Cultoris nomen in nomen Custodis Horti mutari concederet: atque anno MDCCLX Triumvirorum decreto statutum est, ut Arduinus Custodis nomine gauderet, quod flagitabat, cæterum ab Horti Præfecto eadem lege dependeret, qua per annos antæactos, dum primus Horti Cultor dicebatur.

Qua ratione, et per quos omnia sarta, tecta in Horto praestentur.

Quoniam stirpes non solum plurimi parantur, et seruntur, verum etiam aluntur, ac tuentur plurimi, quotidianosque sumptus requirunt, ne cunctando graviori impensa damnum resarciatur, publica sapientia opportunum duxit, Triumviris Literarijs facultatem tradere, qua se inconsulta, pecunia quanta ad Horti incrementum, decus, et conservationem necessaria censebatur, ex Erario sumeretur. Itaque ut optimum habitum, ita III Cal. Jul. anno CIƆIƆ=LXV per Senatum decretum fuit, eoque potestas maxima sumptus in Hortum faciendi, solvendique ex publico Magistratui permissa. Quod eximium summi ordinis de suo iure derogantis quo melius stirpium culturae consuleretur in Hortum collatum beneficium quantum ad herbariam rationem profecerit, nemini obscurum; Hac enim lege aucti Triumviri diligentius incumbere, omnia solertius perspicere, celerius Praefecto necessaria suppeditare, sumptibus perinde ob temporis compendium parcere, ac

decori inservire. Cultores quoque fama constituere probatos premio afficere, inertes rejicere, operas pro anni conditione conducere, peritos Homines ad comparandas stirpes in Alpes, et maritima Loca mittere dum per se valent, cuncta opportune prestantur, & feliciusque cultura procedit. Que si per Senatum agerentur, Patribus graviori publica cura distentis, serius cum maturare oporteret, de Horto rogatio fieret, et facienda tunc decernerentur, cum Hortus magnum detrimentum jam cepisset. Provido igitur consilio talium rerum procuratio Gymnasij, et Horti Moderatoribus attributa est, a quibus sub ipsis Horti exordijs multa extruendis edibus, multa comparandis stirpibus, multa culture, stercorationi, ornamentis, colonis, ceterisque que ad stirpium disciplinam augendam usus postulat expensa fuisse Questorum libri declarant. Per ipsos quoque Triumviros Prosperi Alpini, et Veslingij filios ob paterna merita pecunia, nullo Senatus Consulto peculiari id jubente, sublevatos accepimus; quod qui egregiam Horto operam navasset, ab Horti rationibus non disjunctos intelligebant. Diuturna

hæc facultas Triumviris servata, tandem cum languesceret debilitata, antequam quo penitus deficeret, III Cal. Sext. ann. CIƆIƆCLXXXI Aloysio Contareno Duce, frequenti Senatu restituitur, et confirmatur. Quod decretum in hoc tempus viget, vimque suam retinet; propterea quicquid ad Horti commoda, et tutelam spectat, magistratus libero arbitrio subministrat. Verumtamen multo præstabilius est cognoscere, qua moderatione sapientes Viri amplissimi Consilii indulgentibus legibus utantur. Quæ levia, mediocria, vel ex consuetudine quotannis incidentia, per se Triumviri curant: cum de gravioribus, et magnis expensis agitur, senatum adeunt, rogant, quid in tali negotio faciendum Patres decernant. In Senatusconsulta relatum est, cum ædes publicæ anno CIƆIƆCXIIII in Horto reparandæ essent, de ea re per Triumviros in Curia verba esse facta, et Patres auctores fuisse, ut pecunia in sumptus ex ærario depromeretur. Similiter anno CIƆIƆCC quo, Præfecto Abbate Viali, pleraque in Horto fulminis ictu incensa sunt, restaurationem, referentibus Moderatoribus, per Senatum esse sancitam, Magistratusque

prudentiæ demandatam. Hæc tantum peculiari lege acta in Horto reperio: cetera a prima Horti institutione, et a primo promulgato decreto, de quo retuli, ad nostra tempora magistratus per se procuravit. In qua tamen re Præfecti præsentia non negligitur, cuius litteris, vel rogatione Moderatores admoniti pleraque ejus arbitrio præstanda permittunt. Equidem sumptus, qui ad reparandas stirpes quotannis necessarij habentur, per Præfectum, cui hoc nomine Moderatorum jussu libræ CCLV pendebatur, semper faciendi vetustam consuetudinem fuisse video, quamvis principium ignoretur. Extant litteræ, quas Triumviri Franciscus Molinus Eques, et D. Marci Procurator, Hieronimus Capellus, Antonius Querinus Joanni Malipetro Patavinæ Civitatis Præfecto ann. CIↃIↃCVI Prid. non. Sept. dedere decernentes, ut pecunia, quæ pro comparandis stirpibus ex antiquo instituto debebatur, Prospero Alpino Præfecto quamprimum erogaretur. Porro nostra ætate, qua refertissimo stirpium Horto, magnas expensas in sui tutelam, atque instaurationem cuncta deposcunt, ad omnes annuos sumptus libræ CIↃCC

profecto ineunte vere solvuntur, quibus in expensum relatis, et publicæ computationi subiectis, rationes per Magistratum descripto probantur.

Quo ordine Stirpium historia in Horto tradita fuerit, et quo hoc tempore tradatur.

Non videtur alienum recensere, quoniam ad id instituti nostri argumentum nos ducit, quæ forma primum, et quæ deinceps docendi in horto fuerit, quove anni tempore, quo maxime modo, ac quibus præsentibus stirpes antiquitus explicarentur, ut ad nos tandem descendamus. Auctum rei herbariæ publice exponendæ munus Anguillaræ injunctum inter incertiora constat, et cum Horti Magister diceretur, ea significatione appellabatur, qua apud Romanos Equitum (quibus præerat, et quos moderabatur) Magister præstabat. Itaque Anguillara Horti curam non perinde, ac Pater familiæ domus, ac fundi rationes jubendo administrat, cum imperio gerebat omnia, quæ ingenuo viro digna inveniuntur, per se, servilia

per operarios tractare solitus, ut Seminaria constituere, nata fovere, in ordinem digerere, vacuas sedes sobole frequentare, munditiam facere, squallorem, et situm detergere. Secuto tempore cum stirpes adolevissent, et ipsorum copia suppeteret, anno CIƆIƆLXIV ab Horto condito decimo nono Guilandino stirpes declarandi onus impositum. Rudis fuit primum in Horto stirpium historia, ut rerum principia ferunt; nam sedente in Horto Præfecto colligendi Herbas per Hortum raras discentibus libera potestas dabatur. Quibus lectis, quisque ramulum Præceptori ostendebat dicens prisca formula:= Domine Magister, quo nomine dicitur ista planta? Tunc Professor, et nomenclaturas et vires (si notæ, et probatæ virtutis stirps videbatur) singulis indicabat. Quapropter cum Hieronimo Mercuriali scribat Guilandinus, se publico munere fungentem lectissimorum Iuvenum omnia cognoscere cupientium concursatione maxime districtum esse hunc morem declarat. Diuturna hæc consuetudo viguit, quæ in Veslingij tantum præfectura defecit, atque evanuit per Triumviros interdicta. Res hortatur, ut quæ

ex tenui fama pendent, colligam, atque in commen=
tarios redacta posteritati commendem, antequam
intercidant, penitusque tenebris obruantur. Cum an=
no CIƆIƆCCXVI in Hortum, jam absoluta historia, es=
sem ingressus, Joannem Baptistam Scarellum Ba=
savinum in stirpium studio a teneris annis versa=
tum ad fontem sedentem vetustissimæ ætatis exem=
plum offendi, qui præsens stirpes indicandi institu=
tum increpans, atque antiquum, ut senes plerumque
solent, commendans ea mihi memoriter referebat, quæ
adieci, cum Veslingii Auditor fuisse gloriaretur. Non
consulto, aiebat, sed hominum improbitate factum
est, ut prisca docendi ratio antiquaretur. Carolus
enim Avantius invidia in Veslingium exardens, quod
hunc sibi in Horti præfectura prælatum moleste,
graviterque ferebat, Juvenem quemdam dolis exor=
nat, atque Aconitum, quod Napellus 1 a Casp. Ba=
uhino dicitur, ita paratum, et foliis circumcisum,
ut Anthoræ speciem præberet, tradit, eumdem monens,
ut Veslingio ex more scholam in horto habenti offe=
rat, et de proposita herba sententiam exquirat.
Veslingius nihil subdolum, vel adulterinum suspicans

quod externa facie exemplar referebat, esse Anthoram, atque Aconitum salutiferum appellari pronunciavit. Avantius, qui non longe astabat tamquam ex insidijs prorumpens perperam dictum increpare, malo exemplo Juventutem decipi, ac venena acria pro Medicina doceri exclamat. Hinc turba orta, hinc concertationes, et rixæ. Quod cum intellexissent moderatores, ne fraudi locus in posterum relinqueretur, vetustum docendi morem sustulerunt decernentes, ut Præfectus per Hortum circumiret, atque astans de unaquaque stirpe in sua sede posita ageret, vires, naturamque explicaret.

Hæc Scardea a quo vera prodita (quippe qui ea tempestate vivebat, Veslingij opera Botanicis studijs imbutus) haud inficior; quamvis antiquioris originis institutum novum ab Joanne Prevotio antea usurpatum esse invenietur. Nam in Germanicæ nationis commentarijs memoriæ traditum est, Prevotium anno CIↃIↃCXXXI III non. mai. de re herbaria agere instituisse matutinis horis nova consuetudine ad pulvinos stirpes ostendentem, medicinæ Tyronibus tantum præsentibus, propterea quod eo anno pestilen=

tia grassabatur, qua ipse Brezvotius quarto ab hinc men=
se III non. Sext. extinctus est. Ideo omnia præter morem
acta, medicis tantum expositis, ut opinor, stirpibus, quo
celerius conventus dimitteretur, antequam aer lue in=
festus estu gravior evaderet. Prisco enim modo circum=
eunte Juventute, sedente doctore, stirpibus sine dis=
crimine lectis, multum temporis impendendum erat,
dum medicæ a noxijs, dum utiles ab inutilibus, dum
herbæ ab arboribus, et fruticibus discernuntur, et de
unaquaque singulatim disputatur. At tunc in summa
Civitatis calamitate, cum omnia mærore, luctu, et
funeribus plena, ac referta essent, omniumque ani=
mi timore soliciti, unoquoque in se converti formi=
dante, quæ in proximo exhorrebat, non Orationis
blandimenta quærere, non immensa naturæ opera co=
gnoscere studebant, sed præcipua, et maxime sibi ne=
cessaria exoptabant, circumcisis omnibus, quæ moram in=
nectere poterant, atque a proprijs ædibus, ubi quisque
sibi diligentius consulebat, longiori sermone trepidan=
tes avocare. Eadem de causa anno hinc tertio, nondum
defunctis morbo Civibus, successorem Brezvotio datum
Alpinum Prosperi filium matutino X cal. Jun. de

stirpibus docuisse eadem monumenta testantur. Ut primum vero infestum Mortalibus sidus ad meliora conversum est, et Cives recreari, ac publica loca frequentare ceperunt, Veslingium, qui Alpini praefectura haud diuturnae suffectus fuerat ad pristinam consuetudinem rediisse, ac Iuventuti stirpes cognoscere cupienti se antiquo exemplo sedentem praeceptorem praebuisse non a vero alienum videtur.

Ceterum immutato habendae historiae statu, plurimum rei herbariae studiosis id profuisse existimandum est; praestat enim virentem stirpem contemplari, folia, et infima, et superiora cognoscere, crescendi indolem attendere, flores, fructus, semina, qua parte oriantur intueri, quam detruncatum ramum, pallescentibus, et contractis foliis deforme exhibere. Praeterea quantum Orationis compendium fiat, nemo non tenet; ex ipso enim intuitu statim Spectator assequitur arborne an herba, frutex an suffrutex visa stirps habenda. Magnitudo item apparet, florendi ordo innotescit, caulis natura num recta, an humifusa manifesta. Quare multa tamquam supervacanea a docente praetermittuntur, quae antiquo mo=

re enarranda erant, ac diligentius, ac sæpius explicanda. Verumtamen hæc tam præcipua, et singularia discentium protervia, et libidine pervertuntur. Conculcantur stir=pes, pedibus atteruntur, dilaniantur, evelluntur, dum exempla rapiunt, atque ita affligitur Hortus, ut deterior fieri neque grandine, neque aviditate, neque hiemis vi, neque majori alia Cœli injuria possit. Ideo quotannis tamquam ex integro noves stirpes se=rere, afflictas fovere, raras propagine separare, amissas aut itineribus, aut pecunia, aut Amicorum beneficio restituere necessarium. Accedit Auditorum murmur, discentium tumultus, otiosorum stipatio, Mulierum sæpe garrulitas, ac popularis turbæ sussurrus, quibus habentis historiam animus ita perturbatur, atque evertitur, ut si paratam Domi Orationem affe=rat, memoria defectus hæreat primum, deinde obmu=tescere cogatur. Quid cum huc, atque illuc circum=stantium vi impellitur, et dum ad aliam stirpem explicandam convertitur in obversa circumagitur? Quid cum stirpes cultu difficiles, inventuve raræ, aut ab radice evulsæ, aut discerptæ, aut raptæ spectantur, quo visu decessor noster Vitalis, adeo exardescebat, ut

Gallica pila (binis enim hastatis Militibus nequid quis atterat, dilaniet, attingat, prohibentibus, stirpium historia Lutetijs Parisiorum peragitur) sibi palam exoptaret? Quid denique cum pluvia imminet, tempestas ingruit, venti concurrunt? Tot, et tam gravibus incommodis obnoxius, ac circumseptus Professor tamen in adversa nititur, usuque loquendi ceu veteranus Miles mala cuncta equo animo fert, et prudentia moderatur. Nam et stirpium iactura (quod maximum detrimentum habendum) facile reparari potest, seminariis, ut ego institui, extra hortum positis, et rarioribus stirpibus paucorum studio, et utilitati reservatis, tum sepe per annum de Alpibus montanis deportatis, quod nostrum Celum, ac Camporum estus difficilius ferunt, demum seminibus circumundique petitis, quibus vacue sedes renovantur, ac deperditarum numerus resarcitur. His quidem presidijs a nobis prestitum est, ut Hortum stirpibus ornatissimum semper haberem, et studentium cupiditati satisfacerem. Neque ab antiquis traditum nobis docendi munus difficulter sustinuimus; quin certa regula digestis in ordinem stirpibus historiam pro nostra mediocritate etiam exornasse visi sumus. Qui=

dem cum viderem tantam rerum molem inconditè, at=
que inordinatè, ut decessores nostri solebant, minime
posse pertractari, minimeque a tyronibus ulla ratione
suscipi, ac fidelius retineri, ut primum Horti administra=
tionem sum aggressus, dedi operam, ut stirpium genera
in certas classes digererem, et singulas stirpes partium
cognatione inter se affines suis generibus adiicerem.
Dum flores, semina, fructus quibus genera innituntur,
loculatis tabellis, quales ferme pictores adhibent, impo=
sita, et singula seorsim collocata auditoribus subieci,
eademque si diligenter attendantur, maximum futura
discentibus adiumentum declaravi. Hæc ad singula ge=
nera parata pro mea diligentia cum explicaverim,
tum de unaquaque stirpe ita dissero, ut nomenclaturam,
sive definitionem ex decessorum instituto quasi dictanti
similis ingeminem, quo melius ab auditoribus notetur, ac
memoriæ, vel scripto tradatur. Addo historias, vel fabulas,
si veteribus stirps proposita innotuerit; addo natales
sedes; addo signa, quibus cognosci possit, atque a co=
gnatis separari; addo demum usus, naturamque vel
medicam, vel noxiam inter incerta commemorata,
cujus vis, et facultas in naturæ arcanis delitescit. Non

prætermittitur, quo anni tempore nascatur, si annua; quo floreat, semenque, ac fructum perficiat; quibus mensibus sit medicamentosior, atque ijs commodis, quæ præstat magis apta. Et quoniam Medica remedia in plurimis stirpibus non acervatim, et tota desumuntur, cum sint, quæ ex flore, aut de semine, vel fructu parentur, multa ex folijs constent, nonnulla ex Caule, ligno, Cortice, gummi, resina componantur, multa ex radice fiant, hæc omnia in singulis per sua quæque discrimina explanare necessarium duxi. Quæ tamen paucis concludo præcipua, ac maxime necessaria sedula cura complexus, ne spectatores prolixiore Oratione in Horto detineantur, ac subortis tenebris, prius conventui se subducant, et abeant, quam dicendi finem faciam, cum quotidie stirpes ferme quinquagenæ a nobis sint exponendæ, ut universalis historiæ non perfecta enarratio (quod mortalium nemini in viventibus stirpibus exequi concessum) verum aliquod compendium habeatur.

Quibus institutionibus stirpium historia in Horto Patavino tradi solita, quoniam docuimus: nunc quo anni tempore Hortus publice pateat, et docendi principium fiat, breviter indicandum. Antiquitus VII cal.

Mai: aperiri Hortus incipiebat, ac ex illo stirpes indicabantur, ut Januæ superposita inscriptio declarat, quam capite I commemoravi, et legenti subieci. Quod postea ad VI non. Majas revocatum: siquidem vix mense ineunte propter gelicidia, et pruinas, frigidosque ventos Chelidonias, quibus Cisalpina Gallia vere infestatur, stirpes recreari incipiunt, et germinare, ac florere. Quin etiam nonnunquam tempestatibus adeo afflictus jacet Hortus, ut aliquot dies sit supersedendum, dum stirpes adolescant, atque aptam formam acquirant: Quos ob inopinatos eventus flores, fructus, semina quorum usum esse in historia indicavimus, servantur sicca, præsertim cum stirpes multæ natura serotinæ sint, quæ in extremum autumnum florendi tempus differunt, multæ etiam præcoces primo vere, extremave hieme florem emittant, ac semen maturare festinent.

Hora autem vigesimasecunda, declinante jam sole, conveniunt auditores, quorum alios naturalium rerum scientiæ, vel Medicum studium adducit, alios materiæ amœnitas invitat, multos locus ad recreandum opportunus allicit, nonnullos etiam otium Urbanum immittit. Cum Rectores, Syndici, ac Prosyndici Gymnasii proceres ere=

abantur, iis primus honor dabatur, deinde publicis Professoribus, demum Auditoribus cæteris, exemplo ex Gymnasio petito, ubi ab antiquissimis temporibus huiusmodi institutum vigebat. Hoc inferioris gratis gradu, quo ex Professorum numero Syndici creantur, Professores primas obtinent, nisi forte Urbis Moderatores (quod nonnunquam fit) interesse cupiant, quos pro Reipublicæ majestate ante omnes obsequio, cultu, honore prosequitur Præfectus. Scire etiam expedit, cum Senatus consulto quis Præfectus declaratur prima auspicia petit, ac docendi principium capit, Civitatis Rectores necessario adesse debere, quos Professor designatus, ac Syndicus cum Gymnasij apparitoribus ad Horti januam excipiunt, eosdemque ad Tribunal in vestibulo positum adducunt, ubi sedibus in Orbem digestis Oratio habetur.

L